QUÆSTIONES LIVIANÆ SCRIPSIT HERMANNUS PERTHES

Hermann Perthes

QVAESTIO

SCRIPSIT

HERMANNVS PERTHES
DR. PHIL.

BONNAE
APVD ADOLPHVM MARCVM
MDCCCLXIII.

QVAESTIONES LIVIANAE

SCRIPSIT

HERMANNVS PERTHES
DR. PHIL.

BONNAE
APVD ADOLPHVM MARCVM
MDCCCLXIII.

PATRI · CARISSIMO

PIETATIS · CAVSSA

I.

Quid valeant lacunae ad investigandos codicum familiarum archetypos, Livianorum codicum exemplo demonstratur.

Librorum Livianorum decadis tertiae recensendorum fundamentum esse codicem Puteaneum iam I. Fr. Gronovius ita intellexerat, ut contenderet in adnotatione ad 29, 18, 9 „omnia prope quae nunc haberentur scripta exemplaria serius citius ex ipso P. aut apographis eius profecta esse constare." Sed neque ipse Gronovius nec qui eum secuti sunt editores tanta constantia iudicium hoc tenuerunt, ut ceterorum codicum scripturas omnes in omnibus locis prorsus neglegere auderent. Nuper demum Madvigius, qui Livianis libris quasi alter exstitit Gronovius, postquam in emend. Liv. p. 199 certis argumentis demonstravit, omnes codices aut, quod longe verisimilius sit, ex ipso Puteaneo aut ex plane gemello ductos esse, in editione quam ipse et Ussingius curare coeperunt, omissa de gemello illo codice cogitatione, ab uno Puteaneo de scripturae veritate iudicium pendere contendit neque usquam, nisi ubi deficit Puteaneus, ceteros codices respexit. Nullam autem addit causam, cur id quod antea iure suo longe verisimilius dixerat, nunc pro certo pronuntiet. Neque enim refutatus est Hertzius qui praef. vol. II p. VI[a] monuit lacunas ab optimo libro relictas hic illic ex genuino aliquo fonte Pu-

QVAESTIO...

SCRIPSIT

HERMANNVS PERTH...
DR. PHIL.

BONNAE
APVD ADOLPHVM MARCVM
MDCCCLXIII.

QVAESTIONES LIVIANAE

SCRIPSIT

HERMANNVS PERTHES
DR. PHIL.

BONNAE
APVD ADOLPHVM MARCVM
MDCCCLXIII.

PATRI · CARISSIMO

PIETATIS · CAVSSA

I.

Quid valeant lacunae ad investigandos codicum familiarum archetypos, Livianorum codicum exemplo demonstratur.

Librorum Livianorum decadis tertiae recensendorum fundamentum esse codicem Puteaneum iam I. Fr. Gronovius ita intellexerat, ut contenderet in adnotatione ad 29, 18, 9 „omnia prope quae nunc haberentur scripta exemplaria serius citius ex ipso P. aut apographis eius profecta esse constare.“ Sed neque ipse Gronovius nec qui eum secuti sunt editores tanta constantia iudicium hoc tenuerunt, ut ceterorum codicum scripturas omnes in omnibus locis prorsus neglegere auderent. Nuper demum Madvigius, qui Livianis libris quasi alter exstitit Gronovius, postquam in emend. Liv. p. 199 certis argumentis demonstravit, omnes codices aut, quod longe verisimilius sit, ex ipso Puteaneo aut ex plane gemello ductos esse, in editione quam ipse et Ussingius curare coeperunt, omissa de gemello illo codice cogitatione, ab uno Puteaneo de scripturae veritate iudicium pendere contendit neque usquam, nisi ubi deficit Puteaneus, ceteros codices respexit. Nullam autem addit causam, cur id quod antea iure suo longe verisimilius dixerat, nunc pro certo pronuntiet. Neque enim refutatus est Hertzius qui praef. vol. II p. VIa monuit lacunas ab optimo libro relictas hic illic ex genuino aliquo fonte Pu-

teaneo pleniore in deteriorum codicum classe videri expletas esse. Quamquam enim eorum quos affert Hertzius locorum scripturas plerasque facile coniectura ortas esse posse concedendum est, unus tamen est, in quo quomodo aliquis qui nullis codicum subsidiis usus sit, in eam potissimum emendationem quae tamen prorsus recta videtur inciderit miremur. L. 30, 4, 6 ubi cum P. [1]) man. 1. praebeat: „dum consulitur hasdrubale carthaginienses“, man. 3. (teste Hertzio, in Beckeri collatione editioni Weidmannianae adserta nihil additur) „hasdrubale“ mutavit in „hasdrubal et“, quam scripturum secuti sunt cod. Lipsiensis, Berolin., editio princeps Romana (cf. Alschefskii editio libri 30), nuper Weissenbornius in editione Weidmanniana [2]). De ceteris codicibus cum prorsus taceatur ab editoribus, nisi quod Hertzius — coniectura, opinor, usus — interpolatorum codicum classi eam tribuit, reliquae editiones veteres, eae certe quas nancisci potui (Mediolan. 1480, Tarvis. 1485, Venet. 1497 et 1501, Ascensii 1516, Mogunt. 1518) omnes hanc habent scripturam: dum consulitur [Hasdrubal ab Syphace, ab] [3]) Hasdrubale Carthaginienses. Quae unde orta sit, etsi prorsus ignoretur, merito tamen ab Hertzio et Madvigio servata est. Multo enim praestat alteri illi probabilitate et a codicum vestigiis et a sententia. Nam aberrasse librarium ab „hasdrubal“ ad „hasdrubale“ sexcentis huius decadis lacunis similibus probatur, praesertim cum vox „hasdruba| le [3])“ in finem versus cadat, in quo proclíviorem ad omittenda verba librarium fuisse infra demon-

---

1) Puteanei ubi scripturam affero, singula verba quae in codice non secernuntur quo facilius intellegantur separata describo.

2) Usus sum editione priore; alteram (libr. 21—26) hic illic adscivi.

3) His uncis [ ] includo ea quae ad explendas lacunas addita sunt, his () autem quae eicienda e textu videntur; hac lineola | finem versus indico.

strabo. Ad sententiam autem aptior est, quia id in quo pondus est narrationis, crebris illis colloquiis tempus datum esse et speculatoribus et Scipioni, uberius sic et clarius exponitur. Quae argumenta ut Livium sic scripsisse ostendunt, ita et ipsa comprobare videntur deberi haec non coniecturae. Argutiora enim sunt, quam quibus interpolatores rem agere solent. Accedit quod si quis de huius loci emendatione cogitaverit, in promptu erat coniectura Hasdrubal et Carthaginienses, quae verba proxime praecedunt. Suspicandum igitur potuerit videri vestigium hoc loco vetustioris Puteaneo codicis relictum esse. A quo loco profectus non miremur si quis etiam aliarum lacunarum supplementa quae per se spectata potuerint et librariorum ingenio et veteri codici alicui tribui, contenderit originem ex pleniore aliquo fonte ducere. Quod si ita esset, statuere nos oporteret, fuisse aliquem codicem, Puteaneo prorsus similem, hic illic tamen, ubi ille corruptus est, verum retinentem atque ab illo nonnullos eorum qui exstant codices deductos esse. Iam vero habeo argumentum quo omnem de tali codicis P. gemello libro cogitationem remoturum me esse confido. Verum post praeclaram Madvigii de tertiae decadis fundamento critico disputationem, quae nisi de rebus futilissimis illis dubitationem relinquit, si nihil iam agere instituerem, nisi ut id quod ille longe verisimilius esse ostendit, verum esse demonstrarem, magis profecto quam Livius debebam facturusne operae pretium essem interrogare. Verum enim vero aut fallit me amor suscepti negotii aut ipsa haec argumentatio ita comparata est, ut per Livianorum codicum exemplum novam eamque brevissimam viam aperiat, qua scriptoris alicuius codicum archetypus, dummodo aetatem tulerit, possit investigari.

Lacunarum enim quae in pluribus eiusdem scriptoris codicibus inveniuntur cum ea sit vis, ut omnes eos codices ex eodem fonte manasse certissimo sint indicio, ipse fons

ut cognoscatur, inquiri oportet, quo in codice primum ortae sint illae lacunae. Apparet enim eum codicem, qui earundem in pluribus libris manuscriptis lacunarum, ut ita dicam, parens est, eum et ipsum esse librorum illorum archetypum. Qui lacunarum parens a scriptorum editoribus qui in hanc rem inquisiverunt, nusquam est, quantum scio, exploratus, nisi ubi nonnulla quae in omnibus stirpis alicuius codicibus desunt, in uno huius stirpis exemplo deletis foliis vel foliorum partibus intercidisse apparuit. Quae tamen eiusmodi lacunis multo sunt frequentiores, verborum omissiones librariorum neglegentia ortae, earum quasi loci natalis indicium nullum adhuc — excepto uno eoque nonnisi rarissime adhibendo, de quo infra dicam — innotuisse videtur. Nec mirum id esse dices. Quid enim, inquies, excogitari potest, quo talis verborum omissionis culpam in eum librarium, cuius servatum est exemplum, nec vero in eum, quem secutus est ille conferendam esse evincatur? At esse tamen tale indicium iam ex Puteanei codicis lacunarum indole demonstrabo.

Quae Puteanei ceterorumque tertiae decadis codicum lacunae quales sint, ut perspicue cognoscatur, locorum in omnibus libris manuscriptis truncatorum delectum sic infra descripsi, ut proposuerim Puteanci scripturas in libris 21—23 ab Alschefskio, in reliquis a G. Beckero testatas, subiunxerim autem editorum lectiones, uncis includens lacunarum ab illis addita supplementa.

22, 61, 10 P.: ea res indi | ciorum
Alsch.: ea res indi[cio est, quod fides so]ciorum

25, 27, 1 P.: qui hippocrates milites fue | rant haud
Weiss.: qui Hippocratis milites fue[rant ...... cepe]rant haud

26, 49, 2 P.: capta alibi | supra quinq.
Weiss.: capta alibi [decem milia capitum alibi] supra quinq.

26, 51, 8 P.: cuncta pari cura ůbibat | nunc operibus

Weiss.: cuncta pari cura obibat [nunc in classe acieque .... decurrebat] nunc operibus

27, 23, 5 P.: fulvio ap̄ | cornelio

Weiss.: Fulvio Ap. [Claudio consulibus a P.] Cornelio.

Addere autem non dubito eos locos, ubi lacunam a plerisque eisque vetustioribus codicibus una cum Puteaneo relictam recentiorum codicum alii aliam expleverunt. Qui libri manuscripti cum certissimis documentis cum aliis tum lacunis quas supra posui ad ceterorum codicum cognationem adiungantur, non possunt profecto nonnullarum lacunarum supplementis ad aliam stirpem vocari. Fac enim haec supplementa ex adscito hic illic aliquo vetere codice originem ducere, id quod vel varietate eorum atque inconstantia refutari videtur: at totos codices illos non esse ex alio quam ceteros fonte derivatos continua illa cum ceteris in veteribus corruptelis consensio ostendit. Talium igitur lacunarum hanc habes copiam: 22, 36, 7. — 23, 8, 7. — 23, 33, 12. — 24, 4, 3. — 24, 24, 3. — 24, 25, 5. *[4]) — 24, 29, 8. — 24, 48, 10. * — 25, 29, 4. * — 25, 31, 5. — 25, 41, 12. — 26, 7, 6. — 26, 18, 7. — 26, 19, 10. * — 26, 21, 14. — 26, 22, 9. * — 26, 29, 10. — 26, 35, 3. * — 26, 39, 23 (cf. Hertz.). — 27, 10, 2. — 27, 11, 12. — 27, 17, 7. — 27, 22, 3. — 27, 28, 5. * — 27, 31, 1. — 27, 31, 2. * — 27, 40, 13. — 27, 46, 6. * — 27, 47, 4. * — 28, 3, 2. * — 28, 13, 5. * — 28, 18, 10. * — 28, 29, 5. — 29, 13, 7. * — 29, 19, 2. — 29, 21, 4. — 29, 21, 5. — 29, 21, 6. * — 29, 22, 3. — 29, 34, 4. — 29, 35, 6. * — 29, 38, 3. — 30, 12, 19. — 30, 28, 9. * — 30, 37, 10.

Apparet ex his locis *verba quae et in P. et in ceteris codicibus aut omnibus aut optimis quibusque requiruntur, in Pu-*

4) Asteriscum apposui eis locis, ubi singulae tantum voces vel syllabae interciderunt.

teaneo intercidisse, cum librarius scribendo novum versum inciperet. Quod si quinquies vel sexies factum esset, casui tribuere et possemus et deberemus: quinquagies vero vel sexagies fortuito idem evenisse non habes, quo defendas. Statuendum est igitur, ipsum librarii ad novum versum transitum omissionis caussam fuisse. Iam vero fines versuum non possunt ullo modo omnes eidem in Puteaneo et in eius parente fuisse. Nam si quis miram hanc et, quantum scio, illa aetate prorsus inauditam duorum codicum aequabilitatem contendere vellet, hic vel eo posset refelli, quod Puteanei versus singuli cum senas denas litteras vel paullo plures paucioresve contineant, eius ex quo descriptus est ille usitatus versuum ambitus, ut infra certis argumentis demonstrabo viginti quattuor litteras complectitur; vel ut cautius agam maior est viginti, minor duodetriginta litteris. Quae cum ita se habeant, *consequens est, primum ut lacunae illae ipsius Puteanei codicis librarii incuriae sint imputandae, deinde ut omnium tertiae decadis codicum archetypus sit ipse Puteaneus.*

Haud paullum autem confirmatur, si omnino eget confirmatione, haec de lacunarum in Puteaneo origine sententia aliis eiusdem codicis locis, ubi idem quod in illis factum esse coniciendum erat, ipsis oculis videmus accidisse. Put. m. 1. haec scripsit:[5])

25, 19, 14 alterum vincendo veteranum alte | r u m v i n c e n d o v e t e | r a n u m alterum novom totum

26, 29, 8 nam cum extra sortum conlege optionem dare provinciae inicum | e x t r a s o r t e m c o n l e | g e o p t i o n e m d a r i p r o v i n c i a e i n i q u u m fuerit quando

27, 5, 3 neminem carthaginiensem sici | lia esse neminem | c a r t h a g i n i e n s e m s i c i l i a e s s e n e m i n ē siculum

5) Quae prave in P. geminata sunt, ea typorum forma a reliquis secrevi.

27, 40, 3 Hispania prolapsa^{m} eam erexisse poste cum in | hispania prolapsa eā|erexisse poste cum in hispania

28, 1, 5 auc plus milli | bus militum equitibus quingentis mi | litum eqitibus quingentis misit

29, 18, 20 et nos omnia eadem iterum, si pati possumus patiamur et ille | omnia eadem iterū | si pati possumus pati|amur et ille omni divino.

Quibus locis quoniam apparet, librarium cum ad finem versus pervenerit, substitisse paullum in scribendo et respexisse ad codicem quem descripsit respicientemque aberrasse ad verbum simile, quid tandem habes quod opponas, si idem statuo aliis illis locis eum fecisse, eo tantum interposito discrimine, ut non ad verbum antecedens, sed subsequens aberraverit atque ideo non repetierit sed omiserit interiacentia?

Iam vero hoc errandi genus non esse proprium Puteanei codicis librarii sed multo latius patere, atque quod inde petimus artis criticae subsidium etiam ad aliorum scriptorum discernendas codicum familias multo cum fructu adhiberi posse, suspicandum iam est considerantibus, erroris illius caussam ex ipsa scribendi negotii indole esse repetendam. Uno enim tenore cum nemo sit qui scribere possit, requiescendi autem opportunitas quae posita est in enuntiatorum fine deficiat librarios, si sententiae incuriosi verba tantum serunt — id quod eis praesertim acciderit, qui, ut Puteanei codicis ille, scriptura continua verba scriptoris exarabant — quid quaeso magis est rei naturae conveniens, quam ut librarius cum, scribendo versus finem assecutus, tollere a charta calamum coactus sit, substiterit momentum temporis, deinde quasi novo animi impetu novum versum orsus sit? Hanc vero operis intermissionem duo errorum genera intellegimus procreare, alterum scribentium, alterum describentium tantum. Nam etiamsi nihil

haberent quod describerent librarii, scribendi illa in fine versuum intercapedo idonea erat ad turbandam animi attentionem, socordibus praesertim et somniculosis hominibus. Unde ortae sunt plurimae illae in versuum confinio litterarum omissiones vel geminationes vel aliae corruptelae. Describentibus autem eadem illa intermissionis necessitas occasionem praebuit quam aptissimam ad respiciendum librum adiacentem. Quo factum est, ut hic potissimum in illos respiciendi vel legendi errores inciderint librarii.[6])

6) Duo haec errorum genera diligenter seiungenda sunt, ut recte de lacunarum indole et origine iudicemus. Scriptionis enim lapsus, quales sunt singularum vel litterarum vel syllabarum vel etiam vocularum omissiones, etsi in transitu ad novum versum facilius quam alias oriri potuerunt, omnibus tamen versuum locis satis frequentes inveniuntur. Lectionis autem errore progenitarum lacunarum propriam sedem esse versuum confinium ratiocinatione quam supra posui comprobasse mihi videor. Huius igitur lacunarum discriminis ratio habenda est, ne quis nihil valere obiciat in codice tam lacunoso qualis sit Puteaneus vel tantam quam inveniamus lacunarum in versuum confinio ortarum multitudinem, qua non fortuitum esse hunc originis locum evincatur. Nam uno aliquo versuum loco cum lacunas oriri oporteat, quid mirum esse nonnullas in fine versuum exstitisse? Quem ut refutemus, si omnes vel minimas librorum 24—30 — nam libri 21—23 excludendi sunt ab hac quaestione, quoniam perpauci tantum versuum fines notantur — lacunas computemus, haud multum proficiamus. Adipiscamur enim ratiocinationi nostrae etsi non contrariam tamen non valde commodam numerorum rationem hanc, ut quinarum lacunarum binae in fine versuum ortae sint. Apparet autem eas tantum lacunas huc referri quae respicientis in codicem describendum librarii errore exstiterint. Ad respiciendum enim cum subsistere scribendo oporteret librarium, talium lacunarum si plures in fine quam aliis versuum locis invenerimus, persuasum nobis habebimus, non fortuitum esse hunc erroris locum sed in subsistendi illic necessitate caussam positam esse. Huius vero respiciendi erroris satis certum habemus indicium lacunarum magnitudinem. Nam plura si interciderunt verba, quam quae librarius, quotiescumque ad exemplar describendum respexit, memoriae potuerit

Tota autem haec de subsistentibus in fine versuum librariis sententia et confirmatur maxime et clarissime perspicitur hoc exemplo: 26, 49, 3, ubi cum verba antiatem maiorum prave geminare incepisset librarius, finem versus assecutus substitit repente medio in verbo, subsistensque animadvertit errorem et scribere pergens verum secutus est: „antiatem ma|iorum antiatem ma|scorpionum sex milia e. q. s."

Mirari autem non debemus vitium hoc, cuius ipsa sit scribendi negotii natura effectrix, non esse etiam in aliorum scriptorum codicibus animadversum. Neque enim animadverti potuit, quoniam nonnisi rarissime notati sunt versuum fines. Quo factum est, ut circumspiciens tales notationes in pauca tantum similium lacunarum exempla inciderem, in Plinii hist. nat. rec. Sillig. vol. 6, proleg. p. 34 haec: p. 91, 2. 129, 2. 155, 20. 210, 13. 251, 11, in Gaii instit. em. Boecking. com. 1, § 12; 14; 29; 118; 2, 72; 123; 148; 204; 3, 16; 82; 117; 181; 198; 4, 41; 89; 109. Quodsi in praesens parvus sit arti criticae huius subsidii usus, maior tamen non dubito quin ex eo percipi possit, et satis contentus ero, si disputatione hac id asse-

---

mandare, sumendum est, respexisse eum hoc loco respicientemque in alienum illius codicis locum oculis aberrasse. Iam vero talium lacunarum vix falli videmur si ternarum binas in versuum fines cadere contendimus, ut tota variorum generum lacunarum ratio recte ex uno quod infra scripsi loci lacunosi exemplo animo percipiatur, quo unius capitis atque adeo trium paragraphorum angustiis quattuor lacunae includuntur: 29, 21, 4—6 has invenimus lacunas:

§. 4 P.: quaeque apud | milites
Weiss.: quaeque apud [Pleminium quaeque apud] milites
Deinde P.: conqui|sitam ipsi
Weiss.: conquisitam [et quam] ipsi
§. 5 P.: extulis|set locrensibus
Weiss.: extulis[set quod suum non es]set Locrensibus
§. 6 P.: libe|ra placere
Weiss.: libe[ra corpo]ra placere.

cutus fuerim, ut operae pretium videatur viris doctis in locis lacunosis codicum versuum fines adnotari.

Iam vero ut paucis totius disputationis summam comprehendam: Demonstrasse mihi videor Livianorum codicum exemplo posse nonnumquam ex lacunis quae omnibus stirpis eiusdem codicibus communes sint, ipsum huius stirpis archetypum etiam tum cognosci, si lacunae illae non foliis aliquibus deletis sed librariorum neglegentia ortae sint. Eum enim librum cum intellegamus archetypum esse, in quo primum lacunae illae ortae sint, certum huius originis indicium esse, si saepius quam ut de casu aliquo cogitandum sit, lacunas ita ortas esse appareat, ut librarius cum scribendo transierit ad novum versum verba nonnulla quae nunc hausta sint illis lacunis omiserit. Quapropter vel maxime optandum esse, ut viri, penes quos est codicum conferendorum negotium, in locis lacunosis versuum fines indicent. Quod si factum fuerit, non esse dubitandum, quin etiam in aliis scriptoribus hoc indicium ad codicum familiarum archetypos indagandos possit adhiberi.

Redeo ad Livium. Reservavi autem in hunc locum aliud ceterorum codicum ex ipso Puteaneo propagationis argumentum, cum firmissimum tum simplicissimum, petitum illud ex eo stirpis alicuius archetypi indicio, de quo cogitaveram supra (p. 4), cum unam adhuc lacunarum inter scribendum ortarum loci natalis notam dicerem animadversam esse. Quod si supra protulissem, verendum mihi erat, ne in ea quae secuta est disputatio, quod ipsum Livium attinet, laterem lavare viderer, demonstrando, quod nulla iam egeret demonstratione. Inveniuntur enim in omnibus codicibus duae lacunae, quae in P. ortae sunt, cum librarius ad novam paginam transiret. Qua in re cum occupatus esset librarii animus, praesertim in altero loco, ubi vertendum etiam erat folium, multo magis etiam quam in illo ad novum versum transitu apparet, non satis cum memoria tenuisse, quo exemplaris quod descripsit loco substitisset itaque cum postea respiceret falsum in locum

oculis incidisse et omisisse ea quae interiacebant. Sunt autem loci hi, quos infra descripsi.

26, 21, 14 P.: ad eos murgeniae | (incipit nova pagina) terre secutae defen| sionem earum hybla

Weiss.: ad eos Murgentia et [Ergetium urbes] defecere. secutae defectionem earum Hybla

28, 11, 2 P.: satrici matris | (incipit novum folium) canos haud minus terrebant

Weiss.: Satrici matris [Matutae de caelo tactam. Satri] canos haud minus terrebant

Superiore illo loco cum Beckerus paginam finitam esse dicat, hoc autem loco novum folium incipere adnotet, colligendum est, in superiore illo paginam adversam folii alicuius finitam esse atque ideo vertendum fuisse folium.

Superest, ut paucis exponam, quid de correctionibus, quas in Puteaneo variae manus addiderunt, deinde quid de eis quae in recentioribus codicibus inveniuntur, iudicandum sit. Ad priores quod attinet cum quinque manuum quas passus est P. plerasque nullius momenti esse constaret inter editores, alteram Alschefskius in praef. vol. III p. IX in hoc emendandi negotio persaepe bono quodam et vetere codice adiutam esse contendit. Quam sententiam olim probavit etsi dubitanter Weissenbornius in: Zeitschrift f. d. Alterthumsw. 1847 p. 1003. Contra Hertzius in praef. vol. II p. V primam codicis scripturam unam praebere genuinum ac firmum recensionis fundamentum dixit, id quod rectissime fecit. Quamvis enim non adhibuisse umquam illum correctorem veterem aliquem codicem demonstrari nequeat, probabilitatis tamen speciem talis suspitio prorsus habet nullam. Nam mirum profecto et prorsus incredibile est eum qui emendare studeret orationem codicem quo adiutus est hic illic tantum adscivisse, quinquaginta autem vel sexaginta lacunas cum posset explere intactas reliquisse. Merito igitur novissimi editores eam tenuerunt normam, ut correctionum illarum non aliam

haberent rationem, quam qualem omnium coniecturarum sive nostrae sunt aetatis sive priorum habere debemus. Eadem vero norma eodem iure de scripturis illis recentiorum codicum et veterum editionum constituta est. Quae etsi non raro, ut scriptura illa 30, 4, 6 (cf. p. 2), ipsi sententiae non minus quam P. codicis memoriae accomodatae, non habeant, cur de aliis coniecturis cogitemus, coniecturarum tamen loco habendae sunt, donec certum aliquod magis venerandae originis insigne emerget. Quod factum iri cum vix possit sperari, nisi incertis divinationibus fluctuare, quam certa via progredi malemus, in una Puteanei manu prima nobis acquiescendum erit vel potius non acquiescendum, sed strenue elaborandum, ut, accuratius et ipsius Livii dictionis et librariorum errorum indole perspecta, ea quae in P. leguntur, digniora in dies Livio reddamus. Quae errorum naturae indagatio quid valeat ad scriptorum emendationem specimine aliquo in eis quae secuntur conabor comprobare.

II.

Quam praebeat utilitatem ad emendandos locos corruptos singulorum in codicibus versuum finium scientia. T. Livii exemplo ostenditur.

Quod priore disputationis parte docuisse mihi videor, ad construenda codicum familiarum stemmata haud contemnendum esse adiumentum, ut in locis manca scriptura foedatis sciamus, ubi librarius, qui eos transcripserit, singulos in codice suo inceperit versus, idem ad emendandos singulos locos scitu esse dignissimum, altera iam parte, iterum ex Livio sumptis exemplis, in animo habeo probare. Quae versuum finium scientia duplicem in hanc rem habet utilitatem. Altera est, ut, ubi aliquid excidisse constet, nesciatur autem, quo potissimum loco, detegat lacunae sedem, altera ut locis ita corruptis, ut excideritne aliquid an prave mutatae sint litterae vel voces dubitari possit, lacuna statuenda medelam afferendam esse doceat. Prioris generis emendationes cum satis multae ab aliis factae iam supra allatae sint, hic monendum est tantum, omnia illa supplementa perspecta hac errandi ratione vel maxime confirmari. Novas quas addam eiusdem generis emendationes paucissimas habeo et minutissimas. Unum tamen omittere locum nolui, [1] quoniam gravius aliquid attingendi praebet occasionem.

---

1) In alio quoque loco idem emendationis genus adhibere operae pretium videtur. 27, 28, 3 P: „ibi duo duces sagaciter monti

27, 17, 7 P.: et armorum adfatim erat et quae| post captam eam fecerat tanto opificum | cum iis copiis e. q. s. Quem locum cum duabus lacunis laborare appareret, deteriorum codicum librarii eosque secuti plerique editores sic resarserunt: Et armorum adfatim erat et [captorum Carthagine et] quae post captam eam fecerat tanto opificum [numero incluso]. cum iis copiis e. q. s. Aptissima ad sententiam haec esse supplementa etsi concedo, excogitari tamen posse arbitror, quae facilius intercidere potuerint. Nam particula et repetita, quamvis non posse aberranti librario in caussa fuisse demonstrari nequeat, minutior tamen est, quam quae ad verborum omissiones librarios movere solent. Accedit versus finis non post „et" sed post „quae" incipere lacunam comprobans. Multo igitur pro-

---

sunt, alter ad inferendam frau|dem Anulis Marcelli e. q. s." Priores editores ita scripserunt locum: „ibi duo duces sagaciter moti sunt, alter ad inferendam [alter ad cavendam] fraudem." Sed certum cum sit, talia verba qualia sunt „alter ad cavendam" excidisse, incertum videatur, utrum verbis „alter ad inferendam" praeierint necne, narrationis quae sequitur ordo suadet, ut priore loco caventis fraudem, posteriore inferentis mentionem fecisse Livium sumamus. Quae suspitio augetur versuum quibus continetur locus ratione. Quamquam enim Beckerus nonnisi post syllabam „frau" notavit versus finem, tamen cum Puteanei versuum legitimus et usitatus litterarum numerus non minor sit 15, non maior 18 litteris — id quod ex Beckeri collatione intellegimus — apparet versus in „frau" exeuntis initium cadere intra verborum „alter ad" ambitum. Itaque etiam hoc loco transeuntem ad novum versum aberrasse librarium conieceram et supplementum quale est „ad cavendam, alter" post priorem vocem „alter" inserendum esse. Nunc video Madvigium in editione sua solius sententiae rationem habentem in eandem coniecturam incidisse. Ceterum recte Kochius em. Liv. I p. 11 monuisse videtur in P. m. 1. scriptura „monti sunt" non latere „moti sunt", sed „moliti" sunt. Addere poterat exemplum 28, 44, 6 „audietis ardere bello Africam et molientem hinc Hannibalem et obsideri Carthaginem".

babilius coniciemus excidisse: Carthagine ceperat et quae.

Sed ne alterum quidem supplementum, quod propter statutum in versuum confinio lacunae locum et propter litterarum „num“ et „cum“ similitudinem commendatur, ab omnibus partibus potest laudari. Quod ut cognoscatur, sciendum est, de lacunarum magnitudine recte ut iudicemus nihil nobis maiori usui esse quam verborum in P. ortas geminationes, quarum exempla congessi p. 16. Quas si certum aliquem litterarum numerum fere continere cognoverimus, concludendum erit, eundem in aliis locis verba a librario omissa comprehendere solere, quoniam si illic singulos archetypi sui versus repetiisse librarium recte suspicari videbimur, nulla est caussa, cur in locis, ubi omiserit aliquid, aliud potius spatium transsiluisse eum sumamus. Iam vero geminationum illarum si excludimus eas, ubi singulas binasve voces, non rursus inspecto videlicet exemplo quod descripsit, librarius repetivit, multo sunt plures quae maiorem viginti litteris numerum complectuntur quam quae minorem. Quodsi illius exempli versus hunc numerum fere excessisse haud improbabiliter statuamus, unum est, quod idem multo maiore cum probabilitate atque adeo, ni fallor, necessitate coarguit. Geminationum enim cum plerasque ita ortas esse videamus, ut librarius aberraverit ab aliquo verbo ad simile modico intervallo antecedens, nonnullae sunt, in quibus nulla litterarum similitudo conspiciatur, Weissenbornii editionis Weidm. tom. 5, p. 141, 12. — 145, 3. — 174, 5. — tom. 6 p. 33, 16. — p. 34, 16. — 74, 6. — 289, 4. Quarum origo vix poterit alia esse quam ut librarius ad antecedentis versus eum locum errore reverterit, sub quo posita erat vox in qua describendo substiterat. Iam vero earum geminationum cum tres 25 vel 26 litteras complectantur, reliquae praeter unam 17 tantum litteras continentem non excedant numeros aut 20 aut 28, concludendum est inter hos numeros

fere medium fuisse numerum litterarum singulis illius codicis versibus comprehensarum. Quae computatio mirum in modum confirmatur compluribus aliis locis, ubi verbum aliquod nonnullis aliis intermissis male aut repetitur aut praecipitur: 23, 30, 15 (intervallum 30 litterarum), 23, 47, 8 (23 litt.); 26, 40, 5 (25 litt.); 27, 16, 12 (22 litt.); 30, 30, 25 (27 litt.). Unum quod reperio maioris intervalli exemplum 28, 37, 1 non occurrit huic rationi. Hoc enim loco vox „classe“ non ex repetitione praecedentis eiusdem vocis orta esse videtur, sed addita ad „adpulsa“ a librario, quem cum superiore illa voce „classe“ id esse coniungendum potuerit fugere. Reliquae autem illae repetitiones non video quomodo explicare velis, nisi ita, ut librarius in alienum exemplaris quod descripsit versum aberraverit et mox animadverso errore ad suum locum reverterit. Novum igitur et grave, opinor, argumentum hinc lucramur, 24 vel 25 litteras versus illius codicis fere complexos esse. — Quae cum ita sint, etsi eodem spatio quo illius codicis versus esse omnes Puteanei lacunas nemo erit, qui contendat, apparet tamen, si quae lacunae sine sententiae detrimento et paucis verbis et pluribus expleri possint, probabiliora esse ea supplementa, quae ad illud spatium propius accedant. Itaque ut redeamus ad supplementum illud „numero incluso“, quod nunc circumfertur, tantum abest, ut additamentum aliquod noceat sententiae, ut ipso sensu requiri videatur. Mancum est enim, opinor, illud „incluso“ non addito loco, in quo inclusi erant opifices. Quare si, quae vox addenda sit, quaesieris, viam ostendit ipse ille locus, unde veteres emendatores illud supplementum petiverunt 26, 51, 7 et 8. Ubi cum legatur „fabris omnium generum in publica officina inclusis“ et „quaeque in officinis — multitudo plurima — faciebat“, nonne probabiliter etiam nostro loco „in officinis incluso“ Livium scripsisse sumemus? Itaque sic fere totum locum redintegrabimus: E t a r m o r u m a d f a t i m e r a t, e t q u a e

[*Carthagine ceperat, et quae*] *post captam eam fecerat, tanto opificum* [*numero in officinis incluso*]. cum iis copiis c. q. s.

Transeo ad alterius generis emendationes et graviores et difficiliores. Ordiendum est autem ab exemplo simplicissimo.

30, 10 init. Postquam narratum est, Romanos, cum ad Tyneta vallum iacientes conspexissent classem Carthaginiensium, quae ad opprimendam Romanam stationem navalem Vticam peteret, *omisso opere pronuntiasse iter et signa raptim ferre coepisse*, exponitur, cur statio illa tam celeri auxilio eguerit. Tum §. 4 in P. haec verba secuntur: *Scipio postquam* | *in*[na]*uali certamine solet, rostratis, quae praesidio aliis esse poterant ipsostremum* (scribendum est: *in postremam*) *aciem receptis prope terram, onerariarum quadriplicem ordinem pro muro adversus hostem opposuit.* Editores praeter Alschefskium „praeterquam“ scribentem omnes „contra quam“ ex Rhenani coniectura ediderunt, sensu aptissimo, emendandi ratione ineptissima. Neque enim „post“ ex „contra“ ortum esse ullo modo cogitari potest. Itaque cum „contra quam“ requiratur, legatur autem in P. ante versus finem „postquam“, quidni adventus Scipionis significationem unam cu verbis „contra quam“ excidisse sumamus? Quam desiderari, narrato tantum (§. 2), pronuntiatum esse iter et coepta esse signa raptim ferri, etiam Weissenbornius sensisse videtur. Haud dubie igitur aberravit librarius a „postquam“ in „contra quam“. Quare velut in hunc modum lacunam explebimus: *Itaque Scipio postquam* [*ad Vticam pervenit, contra quam*] *in navali certamine solet ...... opposuit.*

26, 27, 16 P.: *Hac circumfusus multitudine, simul Siculis obviam egressis seculisque Ro*| *mam praebuit clarissimarum urbium excidio ac*

celeberrimis viris victos bello accusatores in urbem adducen | tis. De re p. e. q. s. Varie corrupta haec verba corrigere tentarunt multi omnes parum probabiliter. Nam in priorum editorum lectione, quam nuper recepit Hertzius, nisi quod recte pro „seculisque“ cum Weissenbornio „secutisque“ scripsit: Hac circumfusus .... secutisque (priores: Aetolisque), Romam praeivit clarissimarum urbium excidio (ac sublato) celeberrimis viris ..... accusatores in urbem adducens. de re publica e. q. s., ut mittamus non satis apte circumfusum aliquem multitudine „praeire“, scilicet huic multitudini, dici, quomodo ex adducens ortum sit adducentis non facile potest cogitari. Contra Weissenbornium autem, post „Romam“ addentem „rumorem“ et „ac“ servantem rectissime monuit Madvigius (em. Liv. p. 309) primum „Romam“ vitiose abundare, praesertim proxime praecedentibus „sequi se Romam“, deinde neque „rumorem“ adducentis dici neque de rumore agi, sed de obiecta oculis et animis specie; postremo non recte dici „accusatores excidio“ (tamquam reo) „adduci“, nedum excidio ac viris. Sed ne illud quidem, quod ipse Madvigius ingeniose sane proposuit, probandum videtur. Nam scribi cum iubeat: Hac circumfusus .... secutisque, **formam** praebuit clarissimarum urbium excidio celeberrimis viris victos bello accusatores in urbem adducentis, sic interpretans: „speciem eam praebuit, quasi viris, Capuae et Syracusarum excidio nobilitatis, victos bello accusatores adduceret“, ut ordiamur a posteriore sententiae parte „clarissimarum .... viris“ pro „celeberrimis clarissimarum urbium excidio viris“ et inusitato verborum ordine dicuntur et parum aptam praebent sententiam. Quid enim, quaeso, refert, si celeberrimis viris victi bello accusatores adducuntur, illos clarissimarum urbium excidio gloriam suam peperisse? Quod dixisse Livium tantum abest, ut credamus, ut illam quam statuit

Weissenbornius, reiecit Madvigius sententiam ut veram amplectamur, victos scilicet illos de clarissimarum urbium excidio victores accusaturos fuisse. Neque enim quod vere Madvigius dicit, victos saevitiam victorum accusare voluisse, id ita est comparatum, ut excludat de urbium excidio accusationem, quandoquidem victorum saevitia in eo posita erat, ut delevissent Capuam et Syracusas, aut certe tantis contumeliis incolas affecissent, ut de patriae salute desperarent. Itaque haud improbabiliter, opinor, et „ac“ particulam, ortam, ut suspicatur Madvigius, ex *o* et *c* geminatis, alios secuti, tollemus, et addemus ante „clarissimarum“ praepositionem „de“, quae propter tantam singulorum verborum in P. omissionum copiam multo probabilius in textum inseritur, quam fertur perversa illa Weissenbornii structura. Verum de his quocunque modo existimabitur, certius videtur iudicari posse de formam illo sagaciter ex Romam resuscitato. Quamvis enim haec verbi „forma“ notio, quam plerumque voce „species“ exprimi scimus, exemplis qualia sunt „varia pereuntium forma“ Tac. hist. 3, 28; „formam terribilem praebuit tribunal“ Liv. 45, 29, 2; „forma tyranni“ Cic. r. p. 2, 29 ita defendatur, ut de ipso „formam“ vocabulo, litterarum similitudine ut quod maxime commendato, dubitari vix liceat, probabiliorem tamen contendo esse emendandi viam, qua nulla littera mutata parem sententiam efficiamus. Namque finis versus, quo secernuntur syllabae Ro et mam propter eodem modo turbatorum locorum multitudinem suadet, ut de lacuna cogitemus. Quae ubi orta est suspitio, nullo negotio, opinor, inveniemus, quae non solum aptissime ad sententiam, qualis nunc legitur, adduntur, sed, ni fallor, etiam aegre desiderantur, adventus Laevini dico mentionem. Itaque ita fere explenda erit lacuna: Ro[mam perveniens, for]mam praebuit. Consentaneum est autem addidisse Livium etiam adiectivum, quo admirabilitatem huius spectaculi significaverit, velut „insignem, insolitam, mirificam, novam, singularem“ vel simile quid.

In hanc igitur speciem, si miscemus verisimilia, probabilia, incerta, ut unum aliquod exemplum supplementi ponamus, totum locum restaurabimus: Hac circumfusus multitudine, simul Siculis obviam egressis secutisque, Ro[mam perveniens, insolitam for]mam praebuit de clarissimarum urbium excidio celeberrimis viris victos bello accusatores in urbem adducentis.

27, 47, 10 P.: Hasdru|bā dum lux iam os|tendentis signa ferre iubet et per tortuosi amnis sinus flexusque cum errorē volvens haud multum processiset ubi prima lux transitum opportunū ostendisset transiturus. Turbati huius loci variorum emendationis speciminum nullum probandum est, nisi forte „lux viam“ illud, quod veteri emendatori debetur. Nam in priore sententia, ut alia mittam, quod Weissenbornius scripsit recepitque nuper Hertzius: ostenderet, intentius id et languere ipse sensit Weissenbornius et longius abire a Puteanei memoria apparet. Praeterea cum repente per amnis sinus errorem volvisse feratur Hasdrubal, necesse esse huius mentionem antecedere, recte monet Kochius em. Liv. 1, p. 12. Sed quod verba „dum lux viam ostenderet“ nihili esse et a librariis ex sequentibus conficta esse idem contendit, iussit hoc magis credi quam demonstrando persuasit. Iam vero quod ipse proposuit: „Hasdrubal secundum fluvium viam ostendentem signa ferri iubet“ non emendatoris potius est quam scribentis quae scripta esse optaverit. Sed ne illud quidem, quod Madvigius em. Liv. p. 327 multo magis quam Kochius codicum vestigia secutus scribi volebat „ostenderet, signa ferri iubet per tortuosi amnis sinus flexusque, cum errorem e. q. s.“, cum quattuor locis mutatum sit, deret pro dent, ri pro re posito, is in voce ostendentis, et post iubet deleto, lenis emendatio vocari potest. Accedit quod itineris secundum fluminis ripam faciendi mentio, per se aptissima,

coniuncta est cum difficultatum huius itineris narratione. Quae ut rectissime sententiae quae sequitur proponitur, ut ostendatur qui factum sit, ut non multum processerit Hasdrubal, ita in ipso praecepto prorsus incommoda est. Quae omnia video Madvigium nunc ipsum sensisse (cf. editionis praef. p. 13). Nova vero quam edidit coniectura non multum felicior est: „dum lux viam ostenderet, lentius signa ferri iubet, et per tortuosi amnis e. q. s.“. Revertitur enim ea offensio, ut amnis mentio desideretur in ipso praecepto; deinde litterarum mutatio maior est, quam cui libenter acquiescamus. Itaque per sinus flexusque errorem volventes cum haud multum processerimus, viam ostendet, opinor, ipse librarii ad novum versum transitus. Qui cum inter syllabas os et tendentis notetur, in lacunae incidamus suspitionem, ortae syllabarum fortasse similitudine. Iam vero quoniam ostenderet prorsus apposite ad sententiam inventum est, statuendum erit aberrasse librarium a tenderet ad tendentis. Quodsi quonam tendentes signa ferre milites iusserit Hasdrubal quaesieris, eorum quae antecedunt et quae secuntur inter se comparatio efficit, desertum ab ducibus agmen primo per agros palatum, deinde ne in noctis tenebris a cursu deflecteret, fluvium ut certissimum ducem secutum esse. Nulla igitur litterarum mutatione opus est, si etiam iam illud servantes velut haec scripsisse Livium sumpserimus: Hasdrubal dum lux iam os[tenderet viam, ad flumen milites] tendentis signa ferre iubet.

Minorem autem verisimilitudinem assequi posse videmur in sananda sententia quae sequitur. Cuius cum verbum cui adiungatur „transiturus“ desiderari inter emendatores constet (ut mittamus Hertzium qui fortius quam probabilius I. Fr. Gronovium secutus „cum“ delevit et „processisset“ in „processit“ mutavit, ipse tamen locum nondum persanatum esse confessus), de verbi sensu in diversas partes discedunt. Weissenbornius enim ex §. 11 conclusit

motus significationem excidisse, Madvigius contra et Kochius de subsistendi verbo cogitaverunt, enuntiati prioris notione videlicet commoti, quod quid sibi velit nisi sequatur novi alicuius h. e. subsistendi narratio vix possit inveniri. Sed quoniam contrarium suadere ea quae secuntur Weissenbornio concedendum est, aut de duabus lacunis aut de unius lacunae tali supplemento, ut et antecedentibus et subsequentibus conveniat, cogitandum erit. Quod ita efficere nobis videmur, ut sumamus dixisse Livium usque ad certum alicuius temporis finem Hasdrubalem substitisse, ex quo concludendum fuerit lectori, ubi praeterierit hoc tempus, iam perrexisse eum proficiscendo. Cui desiderio hoc fere supplemento (de quo certum nihil audeo contendere, praesertim cum deficiat versuum finium notatio) sufficiemus: reliquam noctis partem substitit vel simile aliquo. Haec igitur est totius loci proposita scriptura, qua saltem et rei ordinem recte me restituisse et probabilius quam priores eorum quae in P. leguntur originem explicasse opinor: Hasdrubal dum lux iam os[tenderet viam, ad flumen milites] tendentis signa ferre iubet, et per tortuosi amnis sinus flexusque cum errorem volvens haud multum processisset [reliquam noctis partem substitit], ubi prima lux transitum opportunum ostendisset, transiturus.

25, 9, 10. In narratione Tarenti ab Hannibale fraude capti haec in P. leguntur: ea mediterranea regio est orientem spec|tabest (a supra e) aliquantum intra moenia includunt cum portae adpropinquaret e. q. s. In litteris best latere busta Iac. Gronovius ex Polybio 8, 30 intellexit, et recte hoc busta servatum est in variis editorum scripturis, et in Weissenbornii Hertziique: orientem spectat busta aliquantum intra moenia includuntur. cum e. q. s. et in Madvigii: orientem spectans. busta aliquantum intra moenia includunt, cum e. q. s. Perbrevem vero hanc narrationem iam Sigonius,

ne in eis quae secuntur improvisa esset Niconis mentio, ita supplevit: ea mediterranea regione orientem spectabat. [Nico cum sociis ad monumenta esset]. Ea aliquantum intra moenia includuntur. Contra Weissenbornius (in editione Weidm.) excidisse aliquid veri simile esse negat, quia verbis „ceteri proditores ea quae composita erant exspectabant“ satis sibi munierit viam Livius, ut, omissa iam consilii expositione, statim quid factum sit a Nicone possit narrare. Verum ut largiamur, sufficere hanc ceterorum proditorum significationem, ut in mentem revocetur lectori ipsius Niconis nomen, quod inde a cap. 8, 5 non est memoratum, ita ut confisus sit Livius, cum c. 9, 10 subito de Nicone loqueretur, satis lectorem in memoria tenturum esse, Niconem unum ex ceteris illis proditoribus fuisse; ut largiamur porro, cum e verbis „convenerat autem, ut“ (§. 9) appareat, explicaturum fuisse Livium, quaenam essent illa inter Hannibalem et proditores composita, ita eum rem instituisse, ut, illius de Temenitide porta pactionis eam tantum partem quae ad Hannibalem spectat exponeret, omitteret autem proditorum consilium: at non largiendum est verba „busta aliquantum intra moenia includunt“ mutilatum hunc esse locum non coarguere. Nam de ipsa voce busta ab Iac. Gronovio inventa cum propter Polybii narrationem non possit dubitari, quid tamen subita haec bustorum sive includentium sive inclusorum mentio hoc loco sibi velit, non video quomodo explicare possis. Fac enim addere voluisse Livium quasi in parenthesi adnotationem aliquam, qua regionis illius naturam describeret, iam ipsa haec bustorum mentio tam generali regionis alicuius mediterraneae et orientem spectantis significationi adiuncta satis mira est. Quis enim quaeso ita loquitur: „ea regio mediterranea est et orientem spectat atque ibi busta sunt?“ Iam vero accedit sententiae forma tam singularis et definita ac, si per se spectatur, tam abrupta, ut membrum aliquod am-

plioris disputationis esse appareat, quod non possit e conexu suo divelli et cum ceteris illis per se perspicuis in adnotatione aliqua obiter adspersa memorari. An putas bonum aliquem scriptorem quasi uno spiritu narrare posse, busta aliquantum viae cingere (sive, si Weissenbornii praefers scripturam, busta nescio qua re inclusa esse) in aliqua regione et mediterraneam eam esse regionem et orientem spectantem?

Quae cum ita sint, apparet lacunam hoc loco statuendam esse, qua et Niconis mentio interciderit et initium eius narrationis, cuius fragmentum servatum sit verbis „busta aliquantum intra moenia includunt“. Quodsi hoc in ordine rerum quid tandem inclusi alicuius loci mentio sibi velit quaesieris, nihil videtur probabilius excogitari posse, quam significari locum insidiis accomodatum, unde ex improviso Nico sopitos vigiles adorturus fuerit. De ipsis verbis quae exciderint non exspectabitur, opinor, ut certum aliquid proponatur. Unum tamen verbum, in quod propter homoeoteleuton, quam vocant illam lacunarum formam, omnia probabilitatis momenta inclinant, iam Weissenbornio, cum olim de explenda lacuna cogitaret (cf. ed. Teubn. praef. p. VII), in mentem venerat. Aberrasse enim videtur librarius cum ad novum versum transiret a voce „spectans“ vel „spectat“ ad „exspectabat“. Verum de toto loco resarciendo non possum non multo cum minore confidentia disserere, quam qua de ipsa corruptela locutus sum. Videtur tamen iam in codice e quo transcriptus est Puteaneus locus verborum vel syllabarum omissione corruptus fuisse. Quod si recte coniecerimus, haud improbabile velut hoc emendationis exemplum proponemus: ea mediterranea regio est, orientem spec[tans. hac parte Nico cum sociis illum in insidiis exspec]tab[at, ubi bu]sta aliquantum intra moenia includunt. Concedendum est sane „exspectabat, ubi busta“ a codicis vestigiis longius abire. Sunt tamen ita

comparata, ut propter earundem vel similium syllabarum repetitionem saepius in errorem ducere librarium potuerint. Omnino autem, data hac occasione, monendum est, non anxie nos inhaerere debere Puteanei scripturae, sed explorato, quid necessario postulet sententia, etiam a veteris huius codicis vestigiis pari prudentiae audacia recedere, id quod Madvigius acri et sano iudicio perspexit (em. Liv. p. 205). Addere autem libet Madvigii disputationi, praesto esse argumentum, quo multorum, quae inveniuntur in P., mendorum culpam non priorum codicum librariis, sed ei qui ipsum Puteaneum exaravit, imputandam esse demonstretur, quo argumento haud paullum confirmatur Madvigii illud iudicium de adhibenda libera et ab omni superstitione remota emendatione. Nam supra cum ostendissem, omisisse saepe aliquid illum librarium, hic, etiam mutasse eum socorditer saepe ea quae describeret, paucis demonstrabo. Demonstrari enim contendo hoc posse, quamquam nonnisi ex ipso Puteaneo scimus, quid in singulis locis exemplar illud, unde transscriptus est ille, exhibuerit. Verum enim vero neglegentiae suae ipse ille librarius dedit testimonium, cum male interdum verba nonnulla repetens idem saepe verbum varie describeret. Cuius neglegentiae ut mittam exempla minora, quale est inveniret et invenire Weissenb. tom. V p. 157, millia et milia p. 246, dare et dari p. 263, reliquis et reliquiis p. 265, atheniensibus et ateniensibus VI p. 74, poste et postea p. 96, posse et posset p. 136, tenderet et tenenderet p. 136, legato et legatos p. 273, duo exstant graviora: V p. 263 inicum et iniquum (quo exemplo, cui addi possunt millia et milia illud et reliquiis reliquisque, vel maxime docemur, quam parva sit in his rebus orthographicis codicum auctoritas), et VI p. 289: legiones et legationes.

Emendandorum hanc locorum mancorum seriem ad finem adducam exemplo aliquo, ubi non complures voces,

sed singulae tantum syllabae interciderunt [2]). Eget tamen hic locus, etiam aliter turbatus, uberiore disputatione.

---

2) Etiam 30, 26, 5 videtur litterarum nonnullarum omissio sententiam turbasse. P.: annus insignis incendio ingenti quo clivus Publicius ad solum exustus et aquarum magnitudinem | si annonae vilitate fuit. Post exustus Madvigius in editione recte est inseruit, quod ante et facillime intercidere potuit. Nam in sententia relativa verbum substantivum apud participium omitti nequit, cf. Madvigii em. Liv. p. 322. Idem autem quod ex magnitudinem | siannonae factum magnitudine sed annonae, priores editores secutus, retinuit, nullo modo ferri potest. Neque enim duriter, ut Weissenbornius ait, sed falso vilitate ablativus, praemissa sed particula ad insignis refertur, quasi „annus insignis incendio ..... sed insignis vilitate fuit" dici possit. De ablativo qualitatis autem quem dicunt non cogitandum esse, quoniam deest adiectivum, nemo non videt. Itaque miror Hertzium falsam hanc scripturam in textu servasse et satis aptam in adnotatione critica quasi in latebris retinuisse, quo factum est, ut nondum inspecta Hertzii adnotatione cum ego in idem illud inciderem, fortuito hoc consensu coniectura haec commendationem aliquam accepisse videatur. Suspicatur enim Hertzius in msi latere initium verbi insignis, quod sane nulla fere mutatione illinc elicitur. De ceterarum autem litterarum omissione suspitio quantopere librarii ad novum versum transitu defendatur, similiter turbatorum locorum multitudo ostendit. Saepe enim hae librarii transitu ortae lacunae non in ipso initio novi versus incipiunt, sed post exaratas nonnullas litteras vel post absolutam eam vocem, quae in fine proximi versus coepta erat scribi. Quod ita factum videtur, ut subsisteret sane librarius, cum ad finem versus pervenisset, et respiceret in codicem quem descripsit, pergens tamen scribendo nonnullas adhuc litteras vel syllabas eius verborum ut ita dicam fasciculi in memoria teneret, quem cum versum priorem scriberet memoriae mandavisset. Verum in ipso tamen verbo illo insignis acquiescendum esse vix crediderim. Nam ut mittam inusitati aliquid habere in bimembri sententia anaphoram, enuntiatum quod sequitur „praeterquam quod pace omnis Italia erat aperta, etiam quod magnam vim frumenti ex Hispania ...... discripserunt", cum revera ad posterius tantum membrum: „annonae vilitate fuit" pertineat, sententiae tamen forma etiam

24, 42, 7. Quae de novi inter Cn. Scipionem et Hasdrubalem commissi proclii eventu Livius narravit, ea in P. sic traduntur: alii plerique milites sique pro parte totiens intra paucos dies victa isdem animas| quibus pr. orta eodem|que eventu pugnavere. Weissenbornius in priore editione Weidmanniana, aliorum adscitis coniecturis, haec edidit: „alii plerique milites, sicuti pro parte totiens intra paucos dies victa iisdem animis, quibus priores, ita eodemque eventu pugnavere". Eandem lectionem retinuit Hertzius, nisi quod sicut et eodem eventu scripsit. Contra Madvigius longius hoc a codice recedere et „ita eodemque eventu" dici non posse demonstrans, sique ex quippe ita ortam esse coniecit, ut huic particulae leviter in ique corruptae adhaeserit *s* ex praecedente voce, et sic edidit locum „alii plerique milites — quippe pro parte toties intra paucos dies victa — iisdem animis, quibus priores eodemque eventu pugnavere". Propius haec ad codicem accedere vix possit contendi. Praeterea aliam quoque offensionem praebet haec coniectura, quam mox exponam. Sed ne illud quidem quod nuper Weissenbornius, deletis litteris sique, quas ex repetitis vocis plerique postremis syllabis ortas esse suspicatur, et eiecto „que" post „eodem", in altera editione Weidm. edidit, omnibus caret offensionibus: „alii plerique milites, pro parte totiens intra paucos dies victa, iisdem animis, quibus priores, eodemque eventu pugnavere". Laborat enim haec loci restauratio eodem, quo ceterae omnes, vitio: non expressa est ea sententiae vis, quam exprimere voluisse Livium etiam e turbata codicis memoria et litterarum illa vocumque farragine potest cognosci. Ma-

---

ad prius refertur. Quod optime, opinor, vitabimus, si prius membrum in appositionis formam redigendo elevaverimus eiusque vim infregerimus hac scriptura: „Annus, insignis incendio ingenti, quo clivus Publicius ad solum exustus est, et aquarum magnitudine, insignior annonae vilitate fuit, praeterquam quod e. q. s.".

nifestum est enim inter se opposuisse Livium alios milites et eosdem animos eundemque eventum. Docet hoc cum repetitum verbum „idem“, tum „alii“ illud magna cum vi in ipsa enuntiati fronte positum. Iam vero talis verborum notionumque oppositio aut particula adversativa exprimi debet, aut ita collocatis verbis, quae inter se sunt opposita, ut quasi in aedificii antis primo obtutu antithesis appareat. Itaque hoc loco cum intermissis verbis „pro parte totiens intra paucos dies victa“ obscuretur oppositio, adversativa particula non video quomodo possis egere. Excidisse igitur videtur s e t post „m i l i t e s“. Iam si, addita hac particula Weissenbornianae lectioni, scriberemus: „Alii plerique milites, sed, pro parte totiens intra paucos dies victa, iisdem animis, quibus priores eodemque eventu pugnavere“, nihil sane esset, in quo, si ita legeretur in codice, esset offendendum. Iam vero cum codex ante prius enuntiati membrum exhibeat s i q u e, ante posterius t a, quod non improbabilius profecto ut fragmentum vocis i t a quam ex p r i o r e s vocis postremis litteris ortum esse sumemus, deinde cum aptissime militum animi et pugnae eventus inter se comparentur, oritur suspitio, num duo haec membra particulis s i c u t et i t a inter se coniuncta fuerint. Qua comparatione magnopere augeri orationis vim et elegantiam nemo erit qui infitietur. Non dubitabimus igitur, ut restituamus Livio hanc elegantiam, imputare librario etiam hoc loco errorem in quem scimus saepissime eum incidisse. Itaque statuamus in transitu ad novum versum syllabam q u o haustam esse ea quae sequatur q u e, et in hanc formam totum locum redigamus: „A l i i p l e r i q u e m i l i t e s, **sed**, **sicut** p r o p a r t e t o t i e n s i n t r a p a u c o s d i e s v i c t a, i i s d e m a n i m i s q u i b u s p r i o r e s, **ita** e o d e m **quo**q u e e v e n t u p u g n a v e r e.

III.

T. Livii loci interpolati tractantur.

Lacunis contrarium est genus mendorum, de quibus tertia hac disputationis parte agetur: glossemata, quae in Livii orationem irrepserunt, difficiliora plerumque iudicatu, quam lacunae. Nam ubi excidit aliquid, lacunae plerumque indicium habemus mancam sententiam; contra addi scriptoris verbis multa possunt, quae per se non prodant alienam originem. Iam vero e textu removere cum nihil debeamus, nisi quod certis argumentis neque esse a Livio scriptum et potuisse uno aliquo modo orationi ab aliena manu inseri demonstretur, accidere facile potest et accidit haud dubie saepissime, ut legamus aliquid pro Liviano, quod multis demum post eum saeculis ortum est. Eo igitur severius decet criticum eos locos ad iudicium vocare, qui aliquam accusationis ansam praebere videantur. Quo in iudicio cum duae sint quaestiones instituendae, altera, num possint ea quae in codicibus leguntur esse scriptoris necne, altera, num aliqua possit via excogitari, qua ea, quae scriptoris non esse constet, in textum immigraverint, in priore tantum quaestione argumentandi evidentiam licebit sectari, in posteriore autem non progredi ultra divinandi probabilitatem. Quibus finibus etiamsi circumscripti simus in hoc negotio, utile tamen erit fortasse, conquirere tales locos, ubi demonstrari possit, neque ea quae praebeant codices ferenda esse, neque excogitari posse, quae probabili aliqua mutatione inde effi-

ciantur, sed ita tamen ea comparata esse, ut, etsi glossematis nonnisi miram aliquam originem indagare possimus, nihil tamen desideretur, si suspecta haec verba e contextu eiciantur. Quorum locorum exempla si in unum satis multa coacervata fuerint, sperandum est, fore ut ex omnibus collatis emergant interpolationis indicia, quibus adiuti maiore iam confidentia de singulis iudicemus. Tale igitur periculum facienti licebit mihi, opinor, maiore interdum coniciendi libertate hac disputationis parte uti. Ordiar autem, ut par est, a locis certioribus, ad minus certos paullatim transiturus.

10, 6, 11: Minus autem tetendere (patres), adsueti iam tali genere certaminum vinci et cernebant adversarios non id, quod olim vix speraverint, adfectantes magnos honores, sed omnia iam, in quorum spem dubiam erat certatum, adeptos, multiplices consulatus censurasque et triumphos.

Perspexit Madvigius (em. Liv. p. 189) vulgatam hanc interpunctionem ferendam non esse. Nam quae opponi volunt „id, quod olim vix speraverint" et „omnia in quorum spem dubiam erat certatum" cum idem fere significent, inter se non posse opponi apparet. Contra pondus orationis esse in „adfectantes" cui oppositum est „adeptos" idem rectissime sensit. Quam ut oppositionem restituat, interpunxit post non, ut pronomen id, solenni illa formula cum quod coniunctum, non pendeat ab „adfectantes", sed illuc referatur. Significent igitur verba sic interpuncta: „olim plebeii vix adfectare se honores, hoc est petere posse, speraverant, tunc iam adepti erant". Sed vereor, ut sat validam medicinam loco adhibuerit Madvigius. Incommode primum sententia ab „id quod" incipiens, cum possit aptiore loco post verba, ad quae pertineat, collocari, ita ponitur, ut primo obtutu unusquisque in eundem errorem in quem omnes priores editores, inciderit, ut „id"

coniungat cum „non“ et pro accusativo, qui pendeat a verbo „adfectantes“, accipiat. Deinde satis languida est eiusdem sententiae in duobus enuntiati membris eisdemque inter se oppositis repetitio. Acutius enim quam verius sententiae aliquod discrimen subtile investigaretur, quod intercederet inter ea quae sunt „id quod olim vix speraverint“ et „in quorum spem dubiam erat certatum“. Accedit tertia offensio, quod verbum „speraverint“ vitiosam praebet sententiam. Affectare enim nos aliquid non speramus aut desperamus, sed aut audemus aut non audemus. Quis enim, quaeso, tam est afflictus, vel potius tam amens tamque de animi sui facultatibus desperans, ut ne speret quidem, se aliquid adfectaturum i. e. concupiturum esse? Verum ut haec condonemus omnia, superest argumentum, quod, etiamsi nullae aliae essent offensiones, ferri haec verba non posse per se ipsum evinceret. Manifestum est enim, cum „adfectantes“ et „adeptos“ inter se opponantur, duas illius patrum plebisque certaminis aetates secerni: et priorem, qua plebs magnos honores adfectaverit, et praesentem, qua eos adepta sit. Quibus aetatibus inter se comparatis negatur nunc plebem id facere, quod olim fecerit, adfectare honores. Iam vero omnis huius comparationis vis deletur, et tota sententia turbatur et obscuratur, si, quod nunc facere plebem negatur, etiam olim vix eam fecisse additur. Prorsus contrarium apparet addendum fuisse, si omnino aliquid addere voluerit scriptor. Poterat enim dicere „patres cernebant adversarios nunc non, ut olim fecissent, adfectantes honores, sed adeptos“, contra si diceret: „cernebant adversarios non adfectantes, id quod olim vix faciebant, sed adeptos iam illos honores“, deleret profecto enuntiato secundario, quod primario effecerat, id quod senserat iam librarius Loveliani 4. qui pro „non affectantes“ scripsit nunc affectantes“. — Quid, quod perversa haec verba ne grammaticae quidem quam vocant structurae conveniant et ipsa iam forma produnt, aliena

se esse ab hoc enuntiato? Nam quod in optimis codicibus legitur „sperave**rint**" falsum id esse tempus post „cernebant" et Madvigius nuper perspexit (in adnotatione crit. editionis) et olim iam recentiorum codicum librarii intellexerunt, scribentes „sperave**rant**".

Quae cum ita sint, non dubitabimus removere totam hanc enuntiatiunculam, tam indignam Livio quam dignam librariis. Apparet enim ad verba „omnia iam, in quorum spem dubiam erat certatum" declarandi caussa quondam in margine adscriptum fuisse „id quod olim vix speraverint" et alio deinde loco idem in textum irrepsisse. Non adfectantes igitur sed adepti iam nobis videmur genuinam hanc scripturam: et cernebant adversarios non adfectantes magnos honores, sed omnia iam, in quorum spem dubiam erat certatum, adeptos, multiplices consulatus censurasque et triumphos.

22, 24, 10: „Nec acie certare Hannibal ausus, quia tanta paucitate vix castra, si oppugnarentur, tutari poterat; iamque artibus Fabii — pars exercitus aberat iam fame — sedendo et cunctando bellum gerebat, receperatque e. q. s." Demonstravit Madvigius em. Liv. p. 243 primum famis mentionem hoc loco a Livio nisi per summum errorem fieri potuisse, quoniam dimissi essent milites ab Hannibale ad commeatus in futurum hiemis usum et ad pabulum pecori convehendum, cui soli fames timeri posset (cf. Polyb. 3, 100 extr.). Ostendit deinde Madvigius non apparere famis verbi tolerabiliter cum ceteris copulandi rationem. Ablativus enim „fame aberat" sic nude positus non patitur defensionem. Postremo caussam belli ita gerendi incommodissime illic interici, quae recte sic praemitteretur: „iamque — pars exercitus aberat — artibus Fabii etc.". Iam vero in emendationem libro cum transponenda haec verba esse et fame ortum esse ex geminato iam et sequente et censeret Madvig. sic totum locum conformans: „nec acie cer-

tare Hannibal ausus, quia pars exercitus aberat iam et tanta paucitate vix castra, si oppugnarentur, tutari poterat. Iamque artibus Fabii, sedendo et cunctando, bellum gerebat etc.", nuper, mutata sententia, in editionis praefatione violentiora haec sibi videri confessus, cum verba non esse simpliciter eicienda putaret, in medio locum reliquit. Addit tamen plura in mentem venire posse velut „iamque artibus Fabii — pars exercitus aberat etiamtum — sedendo etc.". Miror etiam ab ea priore sententia eum recessisse, qua rectissime inter verba haec arctissime cohaerentia „artibus Fabii sedendo et cunctando" apte aliquid interponi posse negaverat. Quae sententia confirmari videtur tenui sane sed haud contemnendo argumento. Nam in P. cum legatur „artibus Fabiis pars exercitus", videtur littera *s*, vitiose addita voci „Fabii", probare, olim „Fabii" antecessisse vocem „sedendum", ita ut geminata littera *s* vitium illud ortum videatur. Quodsi nec verba haec „pars exercitus aberat iam fame" nec similia hoc loco a Livio scripta esse recte suspicamur, consequens est, ut in margine olim ea posita fuerint et prave inde in textum venerint. In margine autem si scripta fuerunt, altera oritur quaestio, utrum alio contextus loco errore omissa ibi adscripta sint, an, omnino non scripta a Livio, addita sint ab aliquo librario. Utra praestet coniectura non difficile est diiudicatu. Id ipsum enim, quod in P. legitur cum ne eo quidem loco, ubi sententia tale additamentum admittere recte visa est Madvigio, a Livio scribi potuisse ab eodem Madvigio demonstratum sit, aut satis audacibus coniecturis verba mutari oportet aut, nulla facta mutatione, pro glossemate, adscripto ad declarandum illud „paucitate", habenda sunt. Multo alterum hoc et simplicius et probabilius esse unusquisque intelleget. Habemus praeterea glossematis indicium pravam illam latinitatem „fame abesse", quae indoctum redolet librarium, ut quod maxime. Cum confidentia igitur eam commendabimus lectionem, quam Hertzius iam

in editionem recepit: „Nec acie certare Hannibal ausus, quia tanta paucitate vix castra, si oppugnarentur, tutari poterat; iamque artibus Fabii, sedendo et cunctando, bellum gerebat“.

1, 5, 6. „Forte et Numitori, cum in custodia Remum haberet, audissetque geminos esse fratres, comparando et aetatem eorum et ipsam minime servilem indolem, tetigerat animum memoria nepotum; sciscitandoque eodem pervenit, ut haud procul esset, quin Remum agnosceret“. Mirum est hanc de Numitoris Remique fortuito conventu narrationem sic terminari, ut haud procul afuisse dicatur, quin Remus agnosceretur. Desideramus enim ipsius agnitionis notationem. Accedit quod antecessisse eam in ipsa hac sententia, convincunt verba quae secuntur. Nam ut omittam singularem vel potius perversam esse rationem, qua sententia „undique regi dolus nectitur“ particula quae est „ita“ cum priore coniungatur, prorsus non potuit dici, Remum, qui in custodia erat avi, comparata alia manu fratri subvenisse, et Numitorem advocato concilio ostendisse, ut cogniti essent nepotes (c. 6, 1), nisi cognitum esse Remum antea narratum erat. Iam vero non intercidisse aliquid, ut Glareanus suspicatus est, sed in ipso de quo agitur enuntiato latere corruptelam, certa habes indicia. Nam verba „haud procul esset, quin Remum agnosceret“ cum nihil aliud significent, nisi quod proximis „tetigerat animum memoria nepotum“ dictum erat, duo sunt, quae novae alicuius rei narrationem subesse verbis coarguunt. Pervenisse enim aliquem nonnisi eo dicimus, quo quasi ad ultimum viae alicuius finem contenderat; Numitor autem, ubi animum tetigit memoria nepotum, non ut divinaret Remum esse, cum quo colloqueretur, sed ut cognosceret eum sciscitando studuerat. Quo accedit gravius, quod perfectum, praemisso, ut hoc loco, plusquamperfecto „tetigerat“, nusquam, ni fallor, usurpatur, nisi res nova et eis, quae antecedunt gravior accidisse dicitur. Sed ut haec largiar, „eodem“

vocula nullam patitur defensionem. Neque enim ad proxima respicere potest, ut sensum haberent verba „sciscitando idem quod comparando aetatem eorum assecutus est“, quoniam molestissima esset, ut nihil de inepta sententia dicam, addita explicatio, neque cum Weissenbornio ad sententiam „iam inde ab initio Faustulo spes fuerat, regiam stirpem apud se educari“ (§. 5) spectare censebimus. Nam explicare cum studeat scriptor, quomodo undique regi nexus sit dolus, variarum quas narrat rerum eas tantum inter se potest comparare, quae faciendis insidiis inserviebant. Atqui non quia Faustulus inde ab initio illam spem habuerat, ab ea parte vis est parata, sed quia Romulo rem aperuerat (§. 6). Itaque etiam ad illud enuntiatum „eodem“ pertinere nequit.

Iure igitur iam alii in hoc „eodem“ haerebant. Sed quod Crevierus cum cod. Flor. scribi iussit „eo demum“ recte Madvigius (em. Liv. p. 55 n.) ea, quae hic requiratur, significatione (ut sit „postremum eo“) barbarum esse dicit. Ipse vero cum „eo denique“ proponeret, attigit sane verum, ad ipsam tamen veritatem non penetravit. Hac enim scriptura, quae ita videtur corrupta esse, ut „que“ exciderit ante „pervenit“, removit sane, quas praebet „eodem“ offensiones (quare mirandum est in editionem eum hanc scripturam non recepisse), sed totius enuntiati reliquit sententiam pravissimam. Ex eis enim quae supra exposui, consequitur, ut sententiarum nexus necessario postulet ipsius agnitionis narrationem. Iam vero nihil aliud Livium sripsisse quam „sciscitandoque eo denique pervenit, ut Remum agnosceret“ comprobabimus monstrata verisimili corruptelae via. Nam „eo denique“ ubi in „eodem“ corruptum est, non potuit non referri ad sententiam, quae proxime praecedit, nisi quis in argutiorem illam Weissenbornii explicationem incidisset. Scimus autem ex subscriptionibus primam decadem a viris doctis recognitam et emendatam esse. Quid mirum igitur, si quis

eorum, singularum sententiarum nexum reputans, cum in eis quae proxime antecedunt attigisse tantum Numitoris animum nepotum memoriam narretur, perverse sane sed non inscite, pro homine singula tantum nec vero totius narrationis cursum animadvertente, ratiocinatus sit, debere etiam in eis quae secuntur, quoniam eodem pervenisse Numitor dicatur, non ultra progredi scriptorem, et addendum esse hanc ob caussam „ut haud procul esset quin“?

21, 17, 9. „Duas legiones Romanas et decem millia sociorum peditum, mille equites socios, sexcentos Romanos Gallia provincia eodem versa in Punicum bellum habuit“. Mirificas viri docti interpretandi machinas admovent codicum scripturae, ut sententiam ex ea efficiant. Nam ut ordiar ab ea parte, qua communiter omnes claudicant „eodem“ vocula quo respiciat vel quid sibi velit, nemo satis explanavit. Alii enim ad initium capitis id pertinere rati subintellegunt „quo Cornelius versus erat“, alii ad ea quae toto capite antecedunt referri volunt explicarique verbis „in Punicum bellum“. Quorum neutris assentieris. Quis enim credat „eodem“ verbum ad id, quod multarum aliarum rerum narratione seiunctum est, respicere posse? Neque proderit defendendae huic ad Cornelii provinciam relationi, quod renovata est Cornelii memoria paragrapho septima. Nam ibi cum nomen tantum Cornelii copiaeque memorentur, provinciae nulla sit mentio, nihil est, quo „eodem“ spectet. Neque minus gravis obstat caussa, quominus altera explicatio fidem inveniat. Nusquam enim, quod sciam, quo respiciat „eodem“ ex sententiarum conexu divinando assequi oportet, sed semper aut in eo quo legitur enuntiato aut in eo quod antecedit verbum invenitur, ad quod „eodem“ pertinere voluit scriptor (cf. 1, 33, 2. — 23, 34, 2. — 35, 20, 6. — 37, 19, 8. — 41, 17, 8. — 42, 47, 9. — 45, 29, 8). Ad hanc offensionem et ipsam ad refutandas omnes explicationes sat validam accedunt singularum singularia vitia. Subiungit Alschefskius „in Pu-

nicum bellum“ verbo „habuit“ et „eodem versa“ ea notione verbis „Gallia provincia“ additum esse putat, ut significet, Galliam eodem versus (quo Cornelius se verterat) sitam esse. Sed neque tam inscios sibi finxerit Livius lectores, ut ne Galliae provinciae quidem noverint situm, neque ulla est caussa, cur hoc potissimum loco eum nos doceri voluerit. Addit idem, ne ipse quidem invento suo satis confisus, alteram, quam qui maluerit, praeferat explicationem. Coniuncta verba „eodem versa in Punicum bellum“ de Gallorum in Hannibalem inclinatione accipi vult ita ut „in Punicum bellum“ interpretamentum sit vocis „eodem“. Quod non modo non praeferemus, sed ne feremus quidem. Gallia enim si idem valet quod Galli, apparet „Gallia ..... habuit“ nihil aliud esse quam „Galli et ipsi in Punicum bellum versi duas legiones Romanas . . . habuerunt“. Itaque duabus legionibus Romanis Galli Romanos aggressuri dicuntur. Quod quam sit ineptum, non est quod attingam. Eodem modo Fabrius consociata verba „eodem versa in Punicum bellum“ etsi dubitanter ad „Gallia provincia“ pertinere censet, hanc tamen addens sensus interpretationem: „Die Provinz Gallien lag auch auf der Seite gegen den punischen Krieg hin, auf welcher Scipio zu wirken bestimmt war“, in quam praeter illa quae contra priorem Alschefskii explicationem monui, etiam hoc valet, quod „in Punicum bellum“ verba quae universitatem quandam significant, cuius ad partem „eodem“ pertinet, vix potuerunt ut interpretamentum simpliciter apponi sine aliqua partitionis significatione. Superest artificiosa Heusingeri interpretatio, quam miror etiam Heerwagenum probasse. Spectare putat „versa“ non ad provinciam, sed ad „duas legiones Romanas et decem milia sociorum peditum, mille equites socios, sexcentos Romanos“, exemplo talis generum promixtionis, inusitato insuper verborum ordine obscuratae, addito nullo, quod difficile esse inventu vel potius inveniri non posse nemo non concedet.

Neque plus coniecturis qui hunc locum tentarunt profecerunt. Nam quaecunque adhuc prolatae sunt: „eodem anno versa in Punicum bellum“, lectio in prioribus editionibus vulgata, „nondum versa in P. b.“ Gronovii, „eadem versa in P. b.“ Wolfii, „eo dein versa in P. b.“ Lipsii, „eodem dein versa in P. b.“ Hertzii — omnes vel uno argumento refelluntur. „Versus“ enim vel „versa“ aut participium est aut adiectivum. Pro adiectivo si additum est nomini, quale est provincia vel terra vel regio vel simile quid, nihil aliud potest valere, nisi ut, quam in coeli regionem vel quam in partem spectet ea provincia vel regio significet. Participium autem si est, motus quem habet verbum notionem servet necesse est. Iam vero provincia verti in bellum non dici potest, nisi ipsi incolae se in bellum vertunt i. e. arma capiunt et belli participes fiunt. Nam si invitis incolis provincia aliqua sedes fit belli non provincia haec vertitur in bellum, sed bellum in provinciam. Atqui neutra harum „versa“ vocis notionum hunc in locum quadrare supra a me est demonstratum. Itaque neque „eodem“ neque „versa“, quocunque te vertis, defensionem patitur. Quapropter orta mihi est suspitio, num „eodem versa“ — sive pro adiectivo sive pro participio accipiendum est „versa“ — a librario aliquo verbis „Gallia provincias duas legiones .... in Punicum bellum habuit“ adscriptum sit, quo explicetur, qui factum sit, ut etiam in hanc provinciam legiones a senatu destinatae sint. Quod si recte coniecerim, hanc habeamus veram loci speciem: „Duas legiones Romanas et decem milia sociorum peditum, mille equites socios, sexcentos Romanos Gallia provincia in Punicum bellum habuit“.

Pervenio ad locum difficillimum et frustra adhuc a viris doctis tentatum, cui nescio an statuendo glossemate medela possit afferri.

24, 26, 10. Heracliae, ut suae filiarumque vitae parceretur orantis, preces narrantur. Deinde in P. haec se-

cuntur: aversis aurib animisque cassae ne tempus terrerentur ferrum quosdam expedientes cernebat, tum omissis e. q. s. Quam ad scripturam proxime accedit quod Hertzius edidit: „aversis auribus animisque, casse ne tempus tererent, ut ferrum quosdam expedientes cernebat: tum omissis pro se precibus e. q. s.“ Occurrunt primum ea quae Madvigius em. p. 277 contra Weissenbornii in editione Weidmanniana priore propositam lectionem: „aversis auribus animisque in cassum questa, ne tempus tererent, ut ferrum quosdam expedientes cernebat, tum e. q. s.“ monuerat: ablativos (quod tamen in ipsum Weissenbornii illud non cadit, sunt enim „aversis auribus animisque“ dativi) vitiose divulsos esse ab eo subiecto, ad quod pertinent, et „ut“ coniunctionem pravissime inter „ne tempus tererent“ et „ferrum expedientes“ interpositam esse. Accedit tertium, quod casse forma in aliis locis non invenitur. Quibus offensionibus, satis, opinor, iam gravibus, etiam graviores duae sunt, quarum altera valet simul contra Madvigii coniecturam: „aversis auribus animisque astare, ne tempus tererent, ferrum quosdam expedientes cernebat, tum omissis e. q. s. Primum languet ut quod maxime illud „ne tempus tererent“. Offenderet iam, si ipse qui narrat, cum reliquam narrationem ita instituisset, ut rerum cursum sequeretur nec vero singula contemplaretur et perpenderet, hoc loco adderet frigidam talem explicationem, cur interfectores enses expediissent. Iam vero prorsus absurdum est narrare, vidisse Heracliam illos ferrum expedientes, ne tempus tererent, quasi reputasset Heraclia eo temporis momento, quo illud cerneret, hoc fieri ideo, ne tempus tereretur. Quod quam alienum sit a bono et suavi rerum narratore, qualis est Livius, facile sentimus. Sensisse hoc videtur Kochius, cum emend. Liv. 1 p. 8 diceret pro rei atrocitate violento et inciso cursu sermonem decurrere et satis audaci coniectura usus haec proponeret: „aversis auribus animisque questa est; ne tem-

pus tereret vociferantur; ferrum quosdam expedientes cernebat e. q. s.“ — Alterum vero illud, quod moniturus eram contra Hertzium, in eo positum est, quod vidisse Heraclia dicitur aversis auribus animisque illos enses expedientes. Aptissime enim cum dici possit, „Heraclia expedientes eos ferrum cernebat“, aversis auribus id eos fecisse ita diceretur, quasi revera illi, cum ferrum expediissent, aures avertissent, quae prava cogitatio augetur etiam eo, quod vidisse Heraclia narratur aversis auribus id facientes. Remotum est vitium hoc felici Weissenbornii coniectura questa, quod in editioné altera recte post „que“, ubi facilius excidere potuit, collocavit. Qui loquendi usus comprobatur exemplis 38, 33, 11. 41, 10, 6. Iam vero supersunt vitiosa illa verba „casse ne tempus tereretur“ quae a sententia vel maxime offendere supra demonstravi. Accedit altera haud minus gravis offensio, quod secundaria haec enuntiatio, qua res satis levidensis memoratur, praemissa est ei, a quo pendet, enuntiato, quasi in consilio hoc, casse ne tempus tereretur, nec vero in ipso expediendi ferri facinore cardo rei verteretur. Fac enim potuisse Livium dicere „ferrum quosdam expedientes, casse ne tempus tereretur, cernebat“, at inverso ordine „casse ne tempus tereretur, ferrum quosdam expedientes cernebat“ pravissimum edidisset quod vocant hysteron proteron. Primum enim Heraclia ferrum quosdam expedientes oculis cernebat, deinde animo perspexit, illos tempus terere noluisse. Has igitur cum praebeant verba offensiones gravissimas, neque ulla probabiliter mutandi ratio posse excogitari videatur, non nimis, opinor, audacter suspicabimur, e margine ea, sive sunt librarii alicuius sive ipsius Livii, qui ea alio loco scripserit, in textum irrepsisse. Concedendum certe est, prorsus nihil desideratum iri, si in hanc speciem locum in codice invenissemus: „aversis auribus animisque questa, ut ferrum quosdam expedientes cernebat, tum omissis pro se precibus e. q. s.“ — Haec igitur de glossemate suspitio ut

comprobetur, quaerendum est, num possit aliquo modo probabiliter explicari, unde haec verba orta sint. Eius modi autem explicationes plures in promptu sunt. Nam in eis quae secuntur facile cogitari potest, addidisse aut ipsum Livium aut librarium aliquem, ut explicaret, cur pro se preces omisisset Heraclia, „casse ne tempus tereretur". Quibus verbis significatum fuerit, perspexisse Heracliam, quod sibi supersit temporis spatium non ad inanes preces, sed ad tales esse adhibendum, quales exauditum iri sperare possit. Quod additamentum utrum ipsius Livii an librarii sit, cum per se non possit disceptari, insolita forma vocis „casse" suadet, ut librariis potius tribuamus. — Verum potuit etiam fieri, ut illud ipsum „terrerentur" a librario illo in margine adscriptum sit, ut non necesse sit ad explicandum illud glossema mutare „terrerentur" in „tererent". Nam verba illa „aversis auribus animisque" cum, hausto illo „questa", coniungerentur cum verbis „ferrum expedientes", potuerunt sane ita intellegi, ut interfectores illi, cum expedirent ferrum, revera aures avertissent. Quam si quis sententiam verbis inesse putaverit, quidni explicationem aliquam necessariam ratus, potuerit adscribere „ne terrerentur" i. e. ne, si aures illis precibus praebuissent, a proposito deterrerentur? Haec duo autem glossemata „casse ne tempus tererent" et „ne terrerentur" in unum potuisse coalescere, ita ut oriretur, quod nunc legimus „casse ne tempus terrerentur" quis est, qui neget? Verum de his certius aliquid affirmare neque possumus neque debemus. Nam ut eicienda esse ea, quae qualia in codice leguntur ferri non possunt, comprobemus, sufficit profecto demonstrasse, tale quid declarationis caussa potuisse adscribi et nihil in textu, remoto eo additamento, desiderari. Quodsi non fefellerit nos de abstergenda illa robigine opinio, hunc habeamus pristinum huius loci nitorem: „aversis auribus animisque questa, ut ferrum quosdam expedientes cernebat, tum omissis pro se precibus, puellis ut saltem parcerent, orare institit".

Nimis audax quibus hac disputatione visus fuerim, eis vereor ne etiam in ea quae sequetur consensum non extorqueam. Expediet tamen, opinor, donec probabilius aliquid proponatur, etiam ab aliqua audacia non abstinere.

28, 34, 9 P.: „ceterum quippe ea pignera timentium rebellionem esse tiberim | arma relinquere | solutusenimos ne | que se in opsides innoxios e. q. s.“. Quo de loco priusquam iudicemus, monendum est in sententia quae antecedit „quidem“ particulam falso loco legi. Neque enim illi aliis opponuntur, sed illorum fortunam quam merito debuerint pati et quam revera iam passuri sint. Scribendum igitur „illos merito quidem perisse ipsorum maleficio ait, victuros suo atque populi Romani beneficio“. Quae secuntur verba, ea Weissenbornius sic restaurare conatus est “ceterum [neque se obsides iis imperare] quippe ea pignera timentium rebellionem esse, nec adimere arma, relinquere solutos animos: neque se in obsides innoxios e. q. s.“, quam loci conformationem ut longius a P. discedentem iure Madvigius reiecit. Probabilius Hertzius ita scripsit: „ceterum — quippe ea pignera timentium rebellionem esse — se libera iis arma relinquere, solutos animos e. q. s.“ — Sed ex sententia quae sequitur colligendum est, non modo armorum, sed etiam obsidum mentionem antecessisse. Itaque felicissime Madvigius in „tiberim“ illo latere „liberos“, qui obsides capi solebant, coniecit et sic fere locum scribendum putat: „Ceterum — quippe ea pignera timentium rebellionem esse — se liberos iis, arma relinquere, solutos animos e. q. s.“. Sed ne sic quidem locus sanatus est. Quid enim sibi vult illud „solutos animos“, in quo omnes illi acquieverunt? „Cura ac metu solutos“, opinor, interpretantur. At „solutus“ sic nude positum non est „metu solutus“. Nec valet quicquam locus a Weissenbornio allatus Liv. 6, 11, 5, ubi additum est „in spem pacis“. Quod vero Horatius sat. 2, 6, 83 dixit „ut tamen artum solveret hospitiis animum“ ne id

quidem defendendo nostro loco prodest, quoniam in adiectivo quod est „artum“ inest vinculorum notio. Sed ut hoc mittamus, quis, quaeso, dicit relinquere se victis liberos, arma, solutos animos? Animi enim securitas non potest cum liberis et armis a victore victis relictis coniungi, quoniam haec reliquit victor, illam effecit. Accedit alia offensio, haud minus gravis. Quae enim antecedunt verba „quippe ea pignera timentium rebellionem esse“, ea nonnisi ad ea quae secuntur pertinere possunt. Nam ad quae Madvigius ea referri censet, verba „mos vetustus erat ...... imposita forent (§. 7)“ quae sic ponantur tamquam ex ipsa Scipionis oratione, eo respicere nequeunt. Quamvis enim recte moneat Madvigius Livium saepe narrationem et orationem nullo certo fine distinguere sed conflare, ad hunc tamen locum id non pertinet. An narrationis partem putas esse sententiam hanc generalem non ad illud temporis momentum spectantem sed ad totum pristinorum saeculorum ambitum? Apparet a scriptore eam esse narrationi insertam, quo clarius, quam liberaliter egerit Scipio cognoscatur. Itaque illuc ipsius Scipionis verba, satis magno praeterea intervallo ab illis seclusa, non possunt referri, sed cum eis quae secuntur, coniungenda sunt. Iam vero liberi et arma cum optime pignera timentium rebellionem dicantur, quomodo ad „solutos animos“ id pertineat, non potest divinari.

Quae cum ita sint, manifestum est „solutos animos“ ne tum quidem ferendum esse, si in P. legeretur. Iam vero cum ne legatur quidem, sed coniectura, mutatis duabus litteris, effectum sit, non recurret, opinor, furca expulsum. Quodsi quaenam sub miris illis litteris lateat sententia, quaesierimus, addita a Livio aut ad ea, quae antecedunt aut ad ea quae secuntur, considerantes sententiarum nexum intellegemus prorsus nihil desiderari, si nihil additum sit. Revera nihil additum esse comprobat quae sequitur sententia bipertita, cuius singula membra respondere

verbis „liberos“ et „arma“ apparet. Iam vero, quo tandem modo illae litterae huc immigraverint, una addita lineola sententiam eliciens, audacter sane sed, ni fallor, haud improbabiliter explicabo. Suspicor enim in codice, a quo pendet Puteaneus vel in antiquiore in margine adscriptum fuisse „s o l u t u s e n ī m o s“ a librario, quem mirum habuit, Scipionem a vestuto illo more (§. 7) recessisse. Ineptum sane fuerit additamentum, sed non ineptius, opinor, quam quod librario imputetur.

Removendo huic tertio enuntiati membro non impedimento sunt duo reliqua *ἀσυνδέτως* composita. Aut enim ferendum est hoc asyndeton aut, quod in sedata hac oratione paullo verisimilius videtur, ante „arma“ inserendum „et“, quod, eo facilius intercidere potuit, quod transiit librarius ad novum versum. Qui ipse transitus dubitationem quoque movet, utrum s e post e s s e, an a transeunte potius ad novum versum librario omissum sit. — Totius igitur loci licebit hanc fere commendare speciem: „Ceterum — quippe ea pignera timentium rebellionem esse — liber[os se iis et] arma relinquere: neque se in obsides innoxios, sed in ipsos, si defecerint, saeviturum, nec ab inermi, sed ab armato hoste poenas expetiturum“.

Errata.

p. 15, v. 9: pro „p. 16“ legas „p. 6“.
p. 17, v. 24: pro „unam cu“ legas „una cum“.
p. 32, v 33: pro „emendation e m“ legas “emendation u m“.

Bonnae, formis Caroli Georgi.

45

46

47